6.ª X.bris 1791

Absolutio D. Francisci Beckers a Prioratu D. Diestensis, et institutio D. Georgii Kenler in Priorem d.ae domus. Prior absolutus fit Proc.or et Proc.r repetit cellam in Claustro.

fr. Nicolaus &c. &c. V.bus in Ch.o Patribus ad quos praesentes spectant plurimam in Dño Salutem.

Ea rerum humanarum conditio est ut non solum per innatam mobilitatis fluxum mutationibus obnoxiae sint, sed etiam ob varias causas et casus emergentes mutari indigeant; et saepe evenit ut vel spes melioris boni, vel mali alicujus avertendi necessitas ipsas mutationes non tantum justas reddat, sed etiam utiles et necessarias. His autem ducti rationibus, ad nonnullas dispositiones devenire opportunum ducimus quas tenore praesentium &c. ordinamus prout sequitur. Priori d. Diestensis ad suam maximam instantiam sib. ariae. Et praeficimus in Priorem dictae domus V. P. D. Georgium Kenter professum d. Monachorum Gosnay propterea a Prioratu d. Sancti Audomari absolutum: mandantes omnibus personis ordinis in dicta domo Diestensi degentibus ut illi tanquam legitimo suo superiori debitam obedientiam exhibeant ac reverentiam. Et Prior absolutus exerceat officium Procuratoris. Et D. Bernardus Peremans Procurator repetat cellam in claustro. In nomine Patris &c. Accingat se nunc quam primum novus Prior, et pergat ad novum gregem sibi ~~...~~ a Deo concreditum, cui pro sua prudentia sapienter praeesse ac prodesse satagens operarium in utroque statu inconfusibilem se exhibeat, ut mercedem fidelibus dispensatoribus promissam tempore suo recipere mereatur. Quem in finem tam Pastori quam gregi opulentum de coelo auxilium apprecamur. Datum Cartusiae sub Syngrapho et sigillo Consueto die 6.a Xbris anni 1791.

Nos frater Nicolaus Albergati Prior Cartusiae
nec non Cartusiensis ordinis Minister Generalis
accepta relatione nonnullorum gravaminum
contra D. Bernardum Peremans D. Diestensis
professum ~~et Procuratorem~~ alias ejusdem domus, mandamus Vbli
Patri D. Thomae Bogaerts Priori D^s Leodii
ut ad praefatam domum ~~Diestensem~~ accedat
ibique cum socio a se eligendo de omnibus
diligenter inquirat, et si quae nobis de prava
dicti ~~Patris Procuratoris~~ D. Bernardi Peremans agendi ratione relata
fuerint veritati sint consona, pro modo culpae
juxta statuta nostra districte puniatur.
Datum Cartusiae sub chyrographo et sigillo consuetis
die 6a decembris anni 1791.